LUCRETI CARMINA

E FRAGMENTIS EMPEDOCLIS ADUMBRATA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

PRO GRADU DOCTORIS PHILOSOPHIAE


RITE OBTINENDO



SCRIPSIT

AEMILIUS HALLIER

HAMBURGENSIS.



IENAE,

TYPIS MAUKII.

MDCCCLVII.

AVUNCULIS CARISSIMIS

PRAECEPTORIBUS MERITISSIMIS

SUMME VENERANDIS

M. J. SCHLEIDEN

ET

H. SCHLEIDEN

HUNC LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI INTERPRETEM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Lucreti critica castigatio quum praeclara Lachmanni recensione fere ad finem sit perducta, iam rerum desideratur explicatio, qua carmina huius poetae egent ut nulla fere magis. Quod tamen antequam prospere cedat, omnia quantum licet Graecorum philosophorum in Lucreti carmine vestigia sunt indaganda, id quod in singulis fecerunt cum alii tum optime Reisacker[1]). Quae vero comparationes ut plene essent cumulateque perfectae, singulis nisi fallor singulos auctores comparari oportet libellis, quia multae Lucreti opiniones huic an illi sint tribuendae minus certe constat. Quapropter Empedoclem philosophum hac scribendi occasione oblata Lucretio comparare conatus sum, poetico quoque eorum sermone collato, cuius in utroque affinitas a nemine quod scio illustrata est. Quae imitatio tantum abest ut his exteris terminis circumscribatur, id quod Mommsenius [2]) putare videtur, ut ipsa originem deducat ab universa illa Lucreti cum Empedocle necessitudine, quae multo nimirum magis, quam in exteris, ipsis in rebus et opinionibus patebit. Qua de re quum haud pauci essent, qui dubitarent, recte tamen iam iudicavit Friesius [3]) his verbis: „Offenbar ist das Gedicht des Lucretius Carus in der Art der Ausführung vielfach Nachahmung des Empedocles, die Vergleichung mit

1) Quaestiones Lucretianae. Bonnae 1847.
2) Römische Geschichte, vol. III p. 549.
3) Geschichte der Philosophie. Halle, 1837 vol. I p. 209.

diesem wird am anschaulichsten vergegenwärtigen, wie hier so oft nur Dichtung gilt und nicht Naturlehre." Namque dum Heracliti aliorumque sententias nonnisi per Stoïcorum libros cognovisse videtur Lucretius, quippe quas narrans aliquoties in errorem inducatur, Empedoclis contra et Anaxagorae ipsa eum legisse apparet verba. Empedoclem, etiamsi nonnullas eius opiniones plane reiicit, talem nihilominus sibi profitetur auctorem, qualem Plato Parmenidem. Secundo igitur loco meum erit quam plurima afferre singula, quibus Empedocleam rationem imitatus sit Lucretius. Quorum qui nonnulla iam attulit documenta Reisacker, quaedam non certa, alia minus recta dedisse mihi videtur, partim iam sublata Steinii[1]) accurata Empedoclis recensione. Ea quam mihi proposui investigatio, qua certum quemdam comparationis ordinem inire studeo, recte si instituta sit, non spero nulli fore fructui cum Empedocle tum Lucretio.

1) Empedoclis Agrigentini Fragmenta disposuit recensuit adnotavit Henricus Stein. Bonnae 1852.

Empedoclem doctorum hominum, qui eadem qua Lucretius vivebant aetate, fuisse in ore, cum ex aliis tum inde colligere licet, quod Cicero de Cn. Sallustii cuiusdam Empedocleis, de quibus alibi nil constat, haec scripserit ad Quintum fratrem II, 11: „Sed cum veneris virum te putabo, si Sallusti Empedoclea legeris hominem non putabo.“ De Lucreti et Empedoclis similitudine veteres scriptores ne obscure quidem significant, nisi Diomedes (III, p. 480): „Didascalice est, qua comprehenditur philosophia Empedoclis et Lucreti.“ Attamen talis est haec similitudo, qualis, uno excepto Epicuro, cuius se doctrinam in linguam Latinam transferre velle Lucretius profitetur, cum nullo alio maior, quid quod ceteros quos commemoraverat Graecos philosophos, ut Heraclitum, Anaxagoram, Democritum, Onomacritum alios Empedocle inferiores dicit Lucretius multoque minores [1]), quare summa eum affert laude in versibus illis vere poëticis I, 716—733, quorum si dicit extremis:

„carmina quin etiam divini pectoris eius
vociferantur et exponunt praeclara reperta,
ut vix humana videatur stirpe creatus,“

iam id spectat ad propriam Empedoclis ostentationem, qua dicit vv. 355. 356 [392. 393]:

ἐγὼ δ' ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητὸς
πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε.

quae tamen non tali ei vitio verterem, quali auctores recentiores non minus quam veteres ei vertunt, sed ani-

1) I, 734. 735. In numeris ex Lucretio allatis Bernaysii recensioni anno 1852 editae, in Empedocleorum versuum distributione Steinium sequar, ita tamen ut et Karsteni numeros afferam uncis inclusos.

marum potius quam accepit a Pythagoreis tribuerem migrationi, qua omnes homines deos esse putabatur, ob peccata in terram eiectos. Quin et ipsi Agrigentini propter prodigium Empedocli visum, ut eum quasi numen venerarentur, suaserunt. cf. Hesych.: *τῶν δὲ ἐκπλαγέντων, ὀνομίσθη δεῖν θύειν αὐτῷ καθάπερ θεῷ.* Hoc igitur Horati in Arte poetica de Empedocle iudicium mitigatur v. 464. 465.

„deus immortalis haberi
dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
insiluit.“

Verumtamen non omnino ambitionem et vanitatem ab Empedocle defendere volo, quae complures ei crimini dant veteres scriptores, quorum Diog. La.[1]) VIII, 66. pag. 220 A, 1 (ad vv. 355. 356). *ὅ γέ τοι Τίμαιος ἐν τῇ πρώτῃ καὶ δευτέρᾳ, πολλάκις γὰρ αὐτοῦ μνημονεύει, φησὶν ἐναντίαν γνώμην αὐτὸν ἐσχηκέναι τῇ πολιτείᾳ. ὅπου δὲ ἀλαζόνα καὶ φίλαυτον ἐν τῇ ποιήσει ἴδοι τις ἄν.* Neque carent magniloquentia Lucretiani versus, id quod apparet cum aliis locis tum I, 926 — 930. IV, 1 — 5:

„Avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde prius nulli velarint tempora musae.“

cf. II, 1024. 1025:

„nam tibi vementer nova res molitur ad auris
accidere et nova se species ostendere rerum.“

Lucretio Empedocles in eo porro est similis, quod philosophiae suae rationem disciplinamque instituens suum

1) Edit. Cobet, Parisiis Didot 1850.

non omnino sequatur ingenium, verum ad allos se componat. Sunt igitur *ἐκλεκτικοί* quos iam dicit Diogenes Laërtius [1]). Huc referendum est Aristotelis iudicium, qua ambiguitatem Empedoclis vituperat Rhet. III, 5 pag. 1407, A, 31 [2]): *τρίτον, μὴ ἀμφιβόλοις· ταῦτα δέ, ἂν μὴ τἀναντία προαιρῆται. ὅπερ ποιοῦσιν, ὅταν μηθὲν μὲν ἔχωσι λέγειν, προσποιῶνται δέ τι λέγειν· οἱ γὰρ τοιοῦτοι ἐν ποιήσει λέγουσι ταῦτα, οἷον Ἐμπεδοκλῆς· φενακίζει γὰρ τὸ κύκλῳ πολὺ ὄν.* Quae obscuritas etsi Lucretio non eodem iure tribui potest, haud raro tamen aliorum potius quam suo utitur iudicio, immo et complures una affert opiniones, quarum delectum adhibeant lectores, alias nonnisi reiicit, nullam de suo suadens ingenio, quod ipse sibi sumit Lucr. VI, 703. 4:

„Sunt aliquot quoque res quarum unam dicere causam
non satis est, verum pluris, unde una tamen sit.“

Quare etiamsi alterum quod Aristoteles Empedocli obiicit, eum nonnisi imagines earum quas profitetur rerum huc illuc mente concipere, optime Lucretius vitavit, tamen in universum iudicanti Empedocles eo gravior minusque aliis subiectus videtur quam Lucretius, quo Graeca philosophia gravior quam Romana; ille enim singulis quas aliis debebat sententiis multas e ditissimo coniunxit ingenio, hic eas sermoni tantum poetico mandabat proprio.

Utrique deinde, ut ab universis carminum notionibus initium capiam, idem est argumentum, idem sermo. Disputant enim de rerum natura sive de physicis, quare recte Cicero Empedoclis *φυσικά, ἢ περὶ φύσεως* latine ver-

---

1) prooem. 21 pag. 5 A 27.
2) ex recens. Imm. Bekkeri, Berolini 1831.

tens ita dicit „De amic.“ c. 7: „Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt: quae in rerum natura, totoque mundo constarent, quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare concordiam.“ Morum nulla dant praecepta nisi oblata occasione, ut Empedocles in Lustralibus, quum ob animorum post mortem ad animalia, plantasque transitionem necare ea et immolare vetat[1]) vv. 428—435 [416. 417. 410—415]. Ad mores tamen in universum carmina referunt, intento studio et labore beatam hominum vitam meditantes, summum e vitae miseriis et molestia haurientes dolorem, vere humani. Quo exortae sunt crebrae illae de genere humano querelae, vehementiores Lucretianis in libris nullam aliam ob causam, quam quod Romanae reipublicae multo plures quam Graecarum civitatum status offerebat occasiones. Empedocles si clamat vv. 400. 401 [14. 15]:

> *ὢ πόποι, ὢ δειλὸν θνητῶν γένος, ὢ δυσάνολβον,*
> *τοίων ἔκ τ' ἐρίδων ἔκ τε στεναχῶν ἐγένεσθε.*

idem Lucretius II, 14. 15:

> „o miseras hominum mentes, o pectora caeca!
> qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
> degitur hoc aevi quodcumquest!“

et V, 1192. 1194. 1195:

> O genus infelix humanum!.......
> quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
> volnera, quas lacrimas peperere minoribu' nostris!“

cf. Emp. vv. 436. 437 [9. 10]. 445. 446 [420. 421]. Lucr. V, 222—227. 1428—1433.

---

1) cf. Lucr. IV, 1229. 1230.

Eadem mente volgi animos angustiarum accusat Empedocles vv. 147. 148 [200. 201]:

ὡς διὰ πολλῶν δὴ βροτέων ῥηθέντα ματαίως
ἐκκέχυται στομάτων, ὀλίγον τοῦ παντὸς ἰδόντων.

Ita v. 45 [347]:

νήπιοι· οὐ γάρ σφιν δολιχόφρονές εἰσι μέριμναι,

et vv. 6. 7 [36. 37]:

αὐτὸ μόνον πεισθέντες, ὅτῳ προσέκυρσεν ἕκαστος
πάντοσ' ἐλαυνόμενος.

quibus plane respondent haec Lucreti I, 643. 644.

„veraque constituunt quae belle tangere possunt
auris et lepido quae sunt fucata sonore.

Unde si discrepat Ennii[1]) in Iphigenia tragoedia iudicium:

Quód est ante pedes, némo spectat: caéli scrutantur plagas.“

cum quodam tamen id non minore dicit iure; illud enim statum hominum, hoc studium significat. — Sed vehementius etiam religionem hominum quasi superstitionem vituperat Lucretius I, 62—65. II, 609. 621—623

Ut Lucretius Memmium, quem sibi sumit cui carmen suum dedicet, aliquoties hortatur et ut animum quam maxime attendat excitat, imprimis ad novam ubi transit materiam, ita Pausaniam suum Empedocles vv. 56. 57. [85. 86.] 81 [108]. 86 [113]. 96 [124]. 129. 130. [164. 182]. 74 [101]:

ἀλλ' ἄγε, μύθων κλῦθι, μάθη γάρ τοι φρένας αὔξει.

Lucr. I, 331—333:

1) Vahlen, Ennianae poesis reliquiae. Lipsiae 1854 p. 123. Trag. reliq. v. 277.

„quod tibi cognosse in multis erit utile rebus,
nec sinet errantem dubitare et quaerere semper
de summa rerum et nostris diffidere dictis“

III, 206. 207:

„quae tibi cognita res in multis, o bone, rebus
utilis invenietur et opportuna cluebit.“

cf. I, 50—53. 370. 410—417. 499. II, 730. 1023. 1040—1043. 1090. III, 130—135. 181. IV, 928. 909—912. VI, 647—654.

Eodem denique poetico utuntur sermone, epico scilicet. Quae si Empedocli vitio vertit eruditissimus Graecorum existimator Aristoteles in poët. I, 1 p. 1447 B. 17: *οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον· διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν*, consentit cum eo, quae locupletissimus nostrae aetatis artis iudex Lessingius de Lucretio dicit in libello „Pope, der Metaphysiker[1])“: „Lucrez und seines Gleichen sind Versmacher, aber keine Dichter. Ich leugne nicht, daß man ein System in ein Silbenmaaß, oder auch in Reime bringen könne, sondern ich leugne, daß dieses in ein Silbenmaaß oder in Reime gebrachte System ein Gedicht sein werde.“ Utrumque tamen iudicium nescio an non gravius quam verius sit iudicatum. De Lucretio plane alia censent veteres scriptores, quorum in numero est Cicero in epistola illa iam supra commemorata ad Qu. fratrem II, 11: „Lucreti poëmata ut scribis ita sunt; non multis luminibus ingenii, multae tamen artis.“ Similiter Ovidius in Amor. I, 15, 23 summis

1) Lessing's sämmtliche Schriften, herausgegeben von K. Lachmann und W. v. Maltzahn, vol. V p. 7.

Lucretium tollit laudibus versusque eius vera dicit carmina:

,,Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
exitio terras quum dabit una dies."

Quapropter et hic optimum videtur medium quoddam tenere et ad Lucretium referre, quae Empedoclem leviter reprehendens dicit Cicero, de Orat. I, 50, 217: ,,Nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumserit, ita perficiet, ut, quod praeterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam esse videatur: licet ista ratione dicamus, pila bene, et duodecim scriptis ludere, proprium esse iuris civilis........ eademque ratione dicantur, et quos *φυσικοὺς* Graeci nominant, iidem poetae, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit."

Iam Aristotelem Empedocleam Homeri imitationem commemorantem audivimus, de qua quae in Empedoclis et Lucreti carminibus investigavi nunc narrare volo. Aequius hac de re Aristotelem iudicantem laudat Diog. La. VIII, 57 pag. 217 A, 52: *ἐν δὲ τῷ περὶ ποιητῶν φησὶν (Ἀριστοτέλης) ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεχνήμασι χρώμενος.* Idem Favorini confirmatur de Lustralibus Empedocleis narratione apud Diog. La. VIII, 63 pag. 219 A, 18: *αὐτοὺς δὲ τούτους τοὺς Καθαρμοὺς ἐν Ὀλυμπίᾳ διαῤῥαψῳδῆσαι λέγεται Κλεομένην τὸν ῥαψῳδόν, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι.* Idque apparet deinde et in totis Homero desumptis versibus, qualis est 279 [265]:

ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐγόμφωσεν καὶ ἔδησε.

qui reperitur in Iliade V, 902:

ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος, συνέπηξεν

441 [418]: κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθε

Od. XXII, 316: κακῶν ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι

et maxime in singulis vocabulis, quorum tot ab Homero mutuata reperimus, inde ut criticae rationis notam sumere liceat. Quapropter Empedocliis ut videtur exemplo ductus Lucretius conformat et sententias et singula verba homerica. Homerica est illa divinarum sedum poetica enarratio III, 18 sqq. versusque 21:

„cana cadens violat semperque innubilus aether.“

desumptus ex Od. VI, 44:

ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη

versus VI, 971:

„effluat ambrosiae quasi vere et nectari' linctus.“

imitatur versum Odyss. IX, 359:

ἀλλὰ τόδ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρός ἐστιν ἀπόρρωξ.

Quoad singula vocabula, afferre sufficiat δουράτεος I, 476 ex Hom. Od. VIII, 493. 512 desumptum, σκύμνος V, 1034 de leone dictum ab Hom. Il. XVIII, 319. γλαυκός I, 719 pro vulgari „caesii“ vocabulo, quod aliquoties etiam in Vergilio eadem Homeri imitatione reperitur. Homericum deinde est πελάγη, Lucr. V, 35. VI, 619, plurali enim huius vocabuli numero quantum equidem scio Romanorum poetarum nullius est usus, nisi Manilius in posterioris aetatis carmine item physico, quo legimus II, 90:

„Atque haec seditio pelage nunc sidere lunae
Mota tenet.“

Apud Vergilium singularis saepius, pluralis numquam re-

peritur. „Aplustra“ vero in Lucr. II, 555 non ex homerico ἄφλαστον, Il. XV, 717 desumpsit sibi Lucretius, sed ex Ennio [1]) ut videtur. De quibus tamen omnibus dubitari possit, an ex Empedoclis potius perditis versibus desumpserit Lucretius, quia ipse in universum promittit I, 136 — 139:

„Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile inlustrare Latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum
propter egestatem linguae et rerum novitatem.“

Cui Graecorum imitationi duas imprimis Lucretiani sermonis tribuo consuetudines, crebram scilicet versuum repetitionem et tmesin. Qua iteratione Lucretium Empedoclis exemplo duci eo colligo, quod unus Lucretius tot abundat iteratis, quae contra ceteris Romanis poetis vitio plerumque vertuntur ab eruditis iudicibus, nisi poetae defendatur consilio. Iteratos Lucreti versus cum Alberto Forbigero [2]) enumerare longum est. In Empedoclis fragmentis haec fere sunt: δῆλον ἕκαστον vv. 19 [49] et 23 [53] τά τ' ἀμβλύνουσι μερίμνας vv. 3 [33] et 228. v. 66 [93] = v. 72 [99], v. 320 [306] = v. 325 [310], vv. 67. 68 [94. 95] = vv. 116. 117 [142. 143] vv. 105 — 107 [133 — 135] = vv. 124 — 126 [159 — 161], vv. 60 — 62 [87 — 89] = vv. 75 — 77 [102 — 104] cf. vv. 69. 70 [96. 97]. Quin et ter repetitos versus habemus nonnullos, ut

ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα

vv. 67 [94] 116 [142] 248 [336] et:

1) cf. Vahlen, pag. 85.

2) De T. Lucretii Carmine, diss. phil. et crit. Lipsiae 1824.

αὐτὰ γάρ ἐστιν ταῦτα, δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
vv. 94 [122], 108 [136], 114 [140] e quibus exemplis de totis carminibus coniicere licet, praesertim quum ipse hac de re se quasi excuset Empedocles v. 60 [446]:

.... καὶ δὶς γὰρ ὃ δὴ καλόν ἐστιν ἐνισπεῖν
et vv. 75. 76 [102. 103]:

ὡς γὰρ καὶ πρὶν ἔειπα πιφαύσκων πείρατα μύθων
δίπλ' ἐρέω.

Alterum est tmesis verbi cum praepositione coniuncti, qua abundare constat Homerum, quem sequitur Empedocles. Tam late patens ille Lucreti usus apud nullum alium reperitur Romanum poetam. Vergilius exempli caussa eam nullis aliis adhibet in verbis, quam quae cum praepositione „in" coniuncta sunt idque nonnisi bis reperitur, Aen. IX, 288: „inque salutatam" pro „et in salutatam" X, 794: „inque ligatus" pro „et illigatus." Ennianum[1]) tmesis exemplum unum tantum habemus hoc: „indo tuetur" pro „intuetur." Lucreti haec fere sunt: I, 452: se-gregari, 651: dis-supatis, 1059 retro-posta, II, 154: con-globata, 394 per-plicatis, 1104 in-merentes. III, 343: con-putrescunt, 858 inter-iecta, IV, 187: per-volare, 711 in-tueri, 829 interpretantur, 884 in-gredi, 1242 in-gravescunt, V, 287 inter-rumpere, 299 inter-rupta, 880 circum-actis, 1266 per-forare, 1435 lustrantes-circum, VI, 394 in-peditur, 456 con-gregantur, 570 in-gravescunt, 962 „facit-are" pro „arefacit," 1262 pro-voluta. cf. Empedoclis v. 31 [431]: *κατὰ-ἀΐσσοντα*, v. 103 [131]: *σὺν-ἔβη*, v. 242 [229]: *ξὺν-ἐφύοντο*, v. 273 [259]: *ἐν-ἐχύθη*, v. 435 [415]: *κατὰ-ἔδουσιν*, v. 440 [419]: *ἄπο-ἔχεσθε.*

1) Ann. fragm. I. V v. 73 pag. 14 Vahlen.

Ut denique, quibus Lucretium poeticum Empedoclis sermonem imitari evidenter patet, paucis narrem, has locutiones comparare licet; Emp. v. 169 [165]:

αὐτὰρ ἐγὼ παλίνορσος ἐλεύσομαι ἐς πόρον ὕμνων.

Lucr. I, 418:

„Sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis.“ Aliud exemplum affert Karsten [1], Emp. 344—346 [356—358] = Lucr. V, 100—103.

Quod attinet iteratas locutiones unum certe habemus exemplum utrique commune. In Empedoclis enim v. 115 [141] si legimus:

γίγνοντ' ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν.

haec vertit Lucretius II, 995:

„et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,“ quem versum non cum Reisackero [2]) ab Eurip. Chrysipp. fragmento desumptum puto. Verbis *ἄλλων ἔθνεα θνητῶν* saepe usum esse Empedoclem colligere licet e v. 184 [171. 180]:

τῶν δέ τε μισγομένων χεῖτ' ἔθνεα μυρία θνητῶν,

et e v. 386 [21], quo similiter dicit *ἄλλων ἔθνεα Κηρῶν.* Lucreti „saecla ferarum“ iterantur II, 1076. III, 751. IV, 411. 684. V, 944. 964. 980. 1057. VI, 766. 1218. „vitalia saecla“ I, 202. „saecla animantum“ II, 78. Num vero in versu Empedocleo a Karsteni lectione *θηρῶν* recedamus eamque cum Bergkio [3]) in *θνητῶν* mutemus e Lucreti comparatione non diiudicari potest, id quod sane dolendum. Hic enim et ipse „mortalia saecla“ dicit II,

---

1) Commentarius in Empedoclem, p. 267.

2) Quaest. Lucr. p. 45.

3) Th. Bergkii commentatio de prooemio Empedoclis. 1839.

1153. V, 188. 802. 986. 1167. 1236. θηρῶν tamen praeferendum videtur eo, quod eadem significatione redit v. 41 [343]:

ἠὲ κατ' ἀγροτέρων θηρῶν γένος ἢ κατὰ θάμνων.

v. 125 [160], 106 [134], quum contra θνητῶν nonnisi de hominibus dicatur vv. 128 [180], 188 [328].

Ut addam singula vocabula, Lucreti „fides“ qua potestate adhibetur I, 401. 423. IV, 478 „fides sensuum“ IV, 461. 480 plane respondet Empedoclis πίστει, ita iam ab Eleaticis philosophis adhibitae; cf. vv. 20 [50]. 23. [53]. 210 [150] et πειθώ v. 346 [358]. Sed et ipsa Empedoclis verba adhibet Lucretius nonnulla, quorum in numero habendum puto σμύρνης vocabulum, adhibitum a Lucretio hoc versu II, 504:

„et contemptus odor smyrnae mellisque sapores,“

ductum nisi omnia me fallunt Empedoclis e carmine, quo item una mellis mentio fit vv. 410. 411 [373. 374].

σμύρνης τ' ἀκρήτου θυσίαις λιβάνου τε θυώδους,
ξουθῶν τε σπονδὰς μελίτων ῥιπτοῦντες ἐς οὖδας

quare Lachmanni „smyrnae“ praeferendum videtur vulgatae lectioni myrrhae, quae est forma Vergilii in Aen. XII, 100. Deinde ἁρμονία Lucreti III, 100. IV, 1240 Empedocli videtur tribuenda, cf. vv. 122 [157]. 137 [59]. 202 [214]. 394 [25]. Graium enim, quem commemorat Lucretius, non esse Epicurum sed alium quendam poetam, v. 131 testatur. Eodem modo de κουράλιον iudico vocabulo II, 805, quia hac ionica ab Homero tamen non adhibita utitur Lucretius forma pro vulgari „corallio [1]).“ Sed iam haec missa faciamus et ad partem quaestionis

1) cf. ἀρτηρία IV, 527.

alteram et ut spero graviorem, carminum scilicet argumenta transeamus.

In universum iam dixi, de rerum natura disputare Empedoclem et Lucretium, qui quum in gravissimis rebus discrepent multis, haud pauca tamen sunt, in quibus consentiant, id quod quam plurimis mihi erit illustrandum. Cuius investigationis initium capiam ab origine mundi, qualem esse fingebant.

Quodsi Empedocles omnino negat, ullam rem creari vel interire possc, vv. 36. 37. 39 [77. 78. 80]:

φύσις[1]) *οὐδενός ἐστιν ἁπάντων*
θνητῶν, οὐδέ τις οὐλομένου θανάτοιο τελευτή,
.... *φύσις δ' ἐπὶ τοῖς ὀνομάζεται ἀνθρώποισιν,*

eam aeternitatem accuratius Lucretius I, 234—240. 245 toti tribuit materiae, cuius rei caussam proferunt eandem. Nam Empedoclis vv. 48. 49 [81. 82]:

ἐκ τοῦ γὰρ μὴ ἐόντος ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι,
καί τ' ἐὸν ἐξόλλυσθαι ἀνήνυστον καὶ ἄπρηκτον.

Lucretius vertit Epicuro intercedente I, 149. 150:

„principium cuius hinc nobis exordia sumet,
nullam rem e nilo gigni divinitus umquam."

cf. I, 155. 156. 205 et 215. 216:

„Huc accedit uti quicque in sua corpora rursum
dissoluat natura neque ad nilum interemat res."

cf. I, 237. 248. 262. 265. 266. Accuratiorem Empedo-

---

1) *φύσις* enim hoc loco dici pro *γένεσις* haec docent Simplicii in phys. f. 34, b: *τὴν γένεσιν καὶ φθορὰν μηδὲν ἄλλο εἶναι; ἄλλα μόνον μῖξίν τε καὶ διάλλαξιν μιγέντων καὶ σύνοδον διάπτυξίν τε γίνεσθαι ἐν μέρει αἴσης.*

clis hac de re sententiam narrat Aristot. Metaph. III, pag. 1000 B 18: *οὐ γὰρ τὰ μὲν φθαρτὰ τὰ δὲ ἄφθαρτα ποιεῖ τῶν ὄντων, ἀλλὰ πάντα φθαρτὰ πλὴν τῶν στοιχείων*, eandem fusius Lucretius V, 373—379. Aeterna igitur sunt rerum principia. Emped. 50 [83]:

αἰεὶ γὰρ στήσονται ὅπῃ κέ τις αἰὲν ἐρείπῃ [1]).

Lucr. I, 221:

„aeterno constant semine quaeque.“ 224:

„nullius exitium patitur natura videri.“

cf. III, 814. V, 361. Accuratius rerum universitatem eorumque infinitatem narrat Emped. v. 146 [199]:

εἴπερ ἀπείρονα γῆς τε βάθη καὶ δαψιλὸς αἰθήρ.

quod circumscribit Aristot. de coelo II, 13 pag. 294, A 21: *οἱ μὲν γὰρ διὰ ταῦτα ἄπειρον τὸ κάτω τῆς γῆς εἶναί φασιν, ἐπ᾽ ἄπειρον αὐτὴν ἐρριζῶσθαι λέγοντες.* Ita Lucretius I, 1051:

„infinita opus est vis undique materiai.“

cf. II, 544. 568. Argumenta affert I, 951—964. 980—983. cf. II, 1095 „immensi summa“ et „profundum.“ Quapropter nec augetur materies nec imminuitur; immutabilis est igitur et libera a rerum vicissitudine, substantiae quae nunc dicitur perseverantia [2]).“ Emp. vv. 91—94 [120—122]:

οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει οὐδὲ περισσόν.
τοῦτο δ᾽ ἐπαυξήσειε τὸ πᾶν τί κε καὶ πόθεν ἐλθόν;

---

1) Hanc Steinii pro vulgata lectione accepi coniecturam, quia et homericum hoc est vocabulum et a Lucretio I, 222. 223 confirmatur.

2) Cf. Apelt, Untersuchungen über die Philosophie und Physik der Alten in „Abhandlungen der Fries'schen Schule“, Leipzig 1847, vol. I, p. 116 cuius sagacissima reperta a Zellero et aliis plane neglecta esse valde miror.

πῇ δέ κε καὶ ἀπολοίατ'; ἐπεὶ τῶνδ' οὐδὲν ἔρημον.
ἀλλ' αὔτ' ἔστιν ταῦτα·

cf. 108 [136]. Lucr. II, 296. 303—307:

„nam neque adaugescit quicquam neque deperit inde.“
„nec rerum summam commutare ulla potest vis:
nam neque quo possit genus ullum materiai
effugere ex omni quicquam est neque in omne seorsum,
unde coorta queat nova vis inrumpere et omnem
naturam rerum mutare et vertere motus.“

ubi quem indicat Lucretius motum continuum Empedocli non fuisse alienum Aristotelem testem habemus, qui eodem ordine dicit de Mel. Xen. et Gorg. 2 pag. 976 B 23: Ἐμπεδοκλῆς κινεῖσθαι μὲν ἀεί φησι συγκρινόμενα τὸν ἅπαντα ἐνδελεχῶς χρόνον, οὐδὲν εἶναι λέγων [1]) περισσὸν τοῦ παντός, οὐδὲ κενόν· cf. Lucr. II, 874.

Plane sibi constat Empedocles, si dicit

οὔτε θεῶν τις κόσμον ἐποίησ' οὔτε τις ἀνδρῶν
ἀλλ' ἦν ἀεί,

quare hunc versum quem Sturzius ei attribuit (21) ei non abnegarem, quum maxime Lucretianis confirmetur his verbis V, 156 sqq.:

„dicere porro hominum causa voluisse parare
praeclaram mundi naturam, proptereaque
adlaudabile opus divom laudare decere
aeternumque putare atque inmortale futurum,
nec fas esse;“

attamen dubitari posse confiteor, an hoc sensu κόσμῳ vo-

1) A Bekkeri lectione recedo cum Mullachio, Aristotelis de Mel., Xen. et Gorgia, Berolini 1845, pag. 35.

cabulo usus sit Empedocles. Complures enim profiteri videtur mundos eosque differre a rerum summa, sicut et Lucretius, cuius sententiae supra allatae non repugnant, quae dicit vv. V, 235. 236. 238. 239:

„Principio quoniam terraï corpus et umor
aurarumque leves animae calidique vapores, ...
omnia nativo ac mortali corpore constant,
debet eodem omnis mundi natura putari.“

Cf. V, 373—379.

Omnium rerum initium ex iis quae dicta sunt esse oportet chaos quoddam, quod similiter fingit uterque poeta. Nondum sol tunc temporis coelo fulgebat, nulla iam erat terra, non mare, non coelum neque ulla, nunc quae oculis cernuntur. Emped. apud Plut. de fac. lun. p. 926: *σκόπει μὴ τὴν μυθικὴν ἐκείνην καὶ φοβερὰν ἀκοσμίαν καὶ πλημμέλειαν ἐπιδεῖν ποθῇς, χωρὶς τὸ βαρὺ πᾶν καὶ χῶρις τὸ κοῦφον.*

v. 135. 136 [72. 73]:

ἔνθ' οὔτ' ἠελίοιο δεδίσκεται ἀγλαὸν εἶδος
οὐδὲ μὲν οὐδ' αἴης λάσιον μένος οὐδὲ θάλασσα·

ὥς φησιν Ἐμπεδοκλῆς κτλ., quibus comparat Reisacker[1]) Lucreti V, 432—437.

Priusquam tamen transeo ad coniunctionem, qua singula quaeque creantur, et disiunctionem, quattuor Empedocleae materiae principia erunt contemplanda, ipse quae *τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα* dicit v. 33 [55], Lucr. „primordia rerum“ I, 712. 753, deinde melius etsi minus ad verba „quattuor res“ vertit, Aristot. contra de gen.

1) Quaest. Lucr. p. 56.

et corr. II, 7 p. 334 A, 29: στοιχεῖα dicit. Sunt vero haec: Emp. 78 [105]:

πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ αἰθέρος ἤπιον ὕψος·

cf. v. 187 [327], 197. 198 [270. 271], 203. 204 [215. 216], 211 [151]. Lucr. I, 714. 715:

„et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur
ex igni terra atque anima procrescere et imbri."

Imprimis haec Empedoclis elementa a Lucretio reiecta esse constat, quippe quae primordia esse neget I, 765, quare suae ipsius doctrinae constans si voluit esse, „rerum" nomine recte ea notat, corpora quia sint nequaquam individua. Etiam versus I, 753—762 nescio quid impediat, quominus ad Empedoclem spectent, quem verisimile est mollitiem primordiis suis tribuisse cum ex aliis tum e Lucreti l. I, v. 743. Inimica sibi ipsa si dicuntur, id non dubito quin ad amoris odiique certamen referendum sit. Quodsi monet Reisacker [1]), elementa Empedoclis vv. 754—758 mortalia dici, quibus sane obesset huius poetae v. 89 [118]:

οὐδὲν γὰρ πρὸς τοῖς ἐπιγίγνεται οὐδ' ἀπολήγει

non animadvertere videtur, Lucreti, non Empedoclis, hanc esse conclusionem, quare opponuntur verba „mollia constituunt" verbis „quae nos nativa videmus esse et mortali cum corpore." Iam Empedocles, suae quae obstarent elementorum doctrinae, non omnino ignorabat, quare minus sibi constans dividua ea esse docebat rerumque fingebat primordia, quae Plutarchus verbis circumscribit στοιχεῖα τῶν στοιχείων, i. e. „elementa elementorum," de plac. phil. I, 13: Ἐμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεσσάρων στοι-

1) Quaest. Lucr. p. 11.

χείων θραύσματα ἐλάχιστα, οἱονεὶ στοιχεῖα πρὶν στοιχείων, ὁμοιομερῆ, ὅπερ ἐστὶ στρογγύλα κτλ. c. 17: *Ἐμπεδοκλῆς δὲ ἐκ μικροτέρων ὄγκων τὰ στοιχεῖα συγκρίνει, ἅπερ ἐστὶν ἐλάχιστα, καὶ οἱονεὶ στοιχεῖα.* Cf. Aristot., De gener. et corr. I, 8 pag. 325 B, 19. de coelo III, 6 pag. 305 A, 2. Phys. I, 4 pag. 187 A, 25.

Quae tamen ne confundantur cavendum est cum atomis Empedocli plane alienis, quare non fidem habemus eidem Plutarcho, si in plac. phil. I, 24, 2 *λεπτομερῆ σώματα* i. e. *ἄτομα* communia dicit Empedocli cum Epicuro. Minimas elementorum partes cogitare videtur quaeque sensum effugerent. Contra has particulas Lucreti dicti videntur vv. I, 770—781. Iis quae sequuntur Lucretium apparet non refutare velle Empedoclem, de quo Hesychius: *ἀγέννητα ...... στοιχεῖα παρὰ Ἐμπεδοκλεῖ,* neque tamen quos opinantur Karsten [1]) et Reisacker [2]) Stoïcos, sed ipsum aperte, de quo supra narraverat Heraclitum. Nam Lucretius I, 782—788 fere ad verbum dicit, quae Heraclito tribuit Diog. La. IX, 9 pag. 228 A, 52: *πυκνούμενον γὰρ τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι [καὶ ἀέρα γίνεσθαι]· συνιστάμενόν τε [ἀέρα] γίνεσθαι ὕδωρ, πηγνύμενον δὲ τὸ ὕδωρ εἰς γῆν τρέπεσθαι· καὶ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω εἶναι λέγει· πάλιν δὲ αὐτὴν τὴν γῆν χεῖσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι, ἐκ δὲ τούτου τὰ λοιπὰ σχεδὸν πάντα ἐπὶ τὴν ἀναθυμίασιν ἀνάγων τὴν ἀπὸ τῆς θαλάττης· αὕτη δ' ἐστὶν ἡ ἐπὶ τὸ ἄνω ὁδός·* unde aliquantum discrepant quae de Stoïcis refert Diog. La. VII, 142 pag. 189, A, 40.

Versus denique Lucr. I, 794—797 rursus ad Empe-

1) Empedoclis Agrig. carminum reliquiae, 1838, pag. 410.
2) Quaest. Lucr. p. 11.

dociem pertinere puto, ita ut philosophorum, de quibus narraverat Lucretius, doctrinas non distincte distineat.

Ipse Empedocles in carminibus has minutissimas elementorum partes „θέλυμνα“ nomine notasse videtur; sic enim scribendum censeo v. 101 [129]:

ἐκ δ' αἴης προρέουσι θέλυμνά τε καὶ στερεωπά.

et v. 174 [170]:

οὐκ ἄφαρ, ἀλλὰ θέλυμνα συνιστάμεν' ἄλλοθεν ἄλλα.

qua Sturzii[1]) et Peyronis[2]) lectione bis vitatur Steinii apostrophus in προρέουσ' et ἀλλ', quum praeterea θέλυμνα formam tueatur schol. ad Il. X, 15 ubi homerica forma non est προυθέλυμνος sed προθέλυμνος; cf. Il. XV, 479: τετραθέλυμνος. Secundo loco Steinii ἐθελημὰ inusitatum est vocabulum, Homero alienum, quum contra ad θέλυμνα optime quadret qui sequitur versus 175 [171]:

τῶν δὲ (sc. θελύμνων) συνερχομένων ἐξ ἔσχατον ἵστατο Νεῖκος.

Haec igitur prima principia mutari fingit Empedocles in elementa, elementa demum in res, quorum contra medium membrum Epicurum secutus reiicit Lucretius. Alterum quod in Empedoclis doctrina desiderat, id est, ipse quod „inane“, Graeci philosophi τὸ κενόν i. e. „vacuum“ vocant, quod esse negat ipse Empedocles v. 91 itemque testatur Aristot. de coelo IV, 2 pag. 309 A, 19: ἔνιοι τῶν μὴ φασκόντων εἶναι κενὸν, οἷον Ἀναξαγόρας καὶ Ἐμπεδοκλῆς. Attamen neque hac re constare sibi potuit Empedocles, quippe qui πόρους fingeret, quos Ari-

1) Emped. Agrig. De vita et philosophia eius exposuit etc. Fr. G. Sturz, 1805.

2) Empedoclis et Parmenidis Fragm., Lipsiae 1810, pag. 35.

stot. de gen. et corr. I, 8 pag. 324, B, 30 narrat esse *ἀοράτους μὲν διὰ μικρότητα, πυκνοὺς δὲ καὶ κατὰ στοῖχον*. Haec enim materiae quasi intervalla eo fingere cogebatur, quod una cum inani res coniungi et moveri posse negaverat, quod recte monet Lucr. I, 742 sqq., nullam rem iudicans sine inani locum mutare sive mollem raramque fieri; cf. quae vituperat Aristot. de gen. et corr. I, 8 pag. 325, B, 5 et Phys. IV, 6 pag. 213, A, 22 ubi quam commemorat *κλεψύδραν* Empedocles adhibet v. 295 [283]. — *πόρους* quae dicunt Aristot. et Plato, Menon pag. 76, c, Empedocles fortasse *τὰ κοῖλα* vocavit, Lucretius quia „caulas" a foraminibus, i. e. *πόροις* discernit IV, 618. 619. cf. II, 951. III, 255. 700. 705. VI, 492. 839.

Sed iam rerum summa et primordiis consideratis, earum initia et originem, quantum in comparatione Empedoclis cum Lucretio id licet facere, illustrandum erit. Lucretius, etsi non eam quam Empedocles quattuor elementis tribuit vim, ea tamen non omnino negare sed quodammodo defendere apparet e vv. I, 798—802. Omnia quae nasci dicuntur originem capiunt ab aeternorum et minimorum seminum coniunctione vel permixtione. Emped. vv. 38. 39 [79. 80]:

ἀλλὰ μόνον μῖξις τε διάλλαξις τε μιγέντων
ἐστί.

Lucr. I, 176. 177:

„certa suo quia tempore semina rerum
„cum confluxerunt, patefit quodcumque creatur."

Ita primordiis confluentibus gignuntur res I, 987. 994, dissolutis vero intereunt, quare quae ortus et mors

minus recte vulgo dicuntur, Emped. vv. 36. 37 [77. 78]. Lucr. I, 215. 216:

„uti quicque in sua corpora rursum
„dissoluat natura neque ad nilum interemat res.“

vv. 219. 220:

„(vis) quae partibus eius“ (rei)
„discidium parere et nexus exsolvere posset.“

II, 1002—1004:

„nec sic interemit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis:
inde aliis aliud coniungitur.“

Recte mihi huc referre videtur Steinius Empedoclis vv. 63—65 [90—92]:

δοιὴ δὲ θνητῶν γένεσις, δοιὴ δ' ἀπόλειψις.
τὴν μὲν γὰρ πάντων σύνοδος τίκτει τ' ὀλέκει τε,
ἡ δὲ πάλιν διαφυομένων θρεφθεῖσα διέπτη.

quae verba optime illustrant Lucreti haec I, 263. 264:

„quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
„rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.“

et accuratius etiam I, 670. 671. 792. 793. II, 753. 754:

„nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.“

Similiter Emped. vv. 108. 109 [136. 137]:

δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
γίγνεται ἀλλοιωπά· διάπτυξις γὰρ ἀμείβει.

et *σύνοδος* Empedoclis v. 64 [91] plane respondet Lucretiano vocabulo „concursus“ I, 384. 634. 685. II, 727. 1021. V, 439. VI, 161. 172, quum contra cum Lucreti „rerum conciliis“ II, 110 vel „coetu acervi“ sc. elementorum I, 775 comparari possunt Empedoclis *συναθροισμός*, Plut. pl. phil. I, 24, 2, *πρόσθεσις* Stob. eclog.

phys. I, pag. 414, σύνθεσις Aristot. de gen. et corr. II, 7 pag. 334, A, 26.

Sempiternae nimirum hae sunt gignundi et intereundi vicissitudines non minus quam ipsa materia rerumque summa. Emped. v. 66 [93.] 72. 73 [99. 100].

ᾗ δὲ τάδ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει,
ταύτῃ αἰὲν ἔασιν ἀκίνητον κατὰ κύκλον.

Lucr. III, 968. 969:

„sic alid ex alio numquam desistet oriri,
vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.“

I, 545—547:

„esse inmortali primordia corpore debent,
dissolui quo quaeque supremo tempore possint,
materies ut subpeditet rebus reparandis.“

Hoc principiorum tam vario motu et coetu tandem veniunt in ea quibus nunc mundus constat concilia I, 1026—1030. II, 62—76 V, 825. 833.

In his igitur fere omnibus consentiunt Empedocles et Lucretius, nisi quod Empedocles harum vicissitudinum caussam certamini tribuat amoris cum odio sive Veneris cum Marte[1]), quare quod concordiam discordem „recte vocat Horatius“[2]), quod tamen nec ipsum Lucretio alienum fuisse loci docent, ut II, 120, ubi minuta corpora exercita dicit crebris conciliis et discidiis, et V, 380. 381, ubi magna mundi membra inter se dicit pugnantia belloque concita nequaquam pio, i. e. Empedoclis νεῖκος οὐλόμενον v. 79 [106], λυγρόν v. 335 [323] cf. Lucr. II, 569—580. Attamen Lucretius casui plurima tribuit, quod minus recte

1) cf. Zeller, Die Philosophie der Griechen, 1. Theil, 2. Aufl. Tübingen 1856. pag. 517. 518.

2) Epist. I, 12, 19.

ut videtur Empedocli crimini dat Aristot. Phys. II, 4 pag. 196 A, 20. de gen. et corr. II, 6 pag. 334 A 27.

De mythica Empedoclis odii sive discordiae inductione nulla in Lucreti carmine reperiuntur vestigia, cum contra Venerem constet Lucretium non minore atque Empedoclem canere studio. Quid? quod carmen ei commendat quasi omnium genetrici, quam unam omnium numinum eo Lucretius agnoscit modo, quo inter homines colitur. Quin Empedocles quoque primo eam ponere videtur loco vv. 80—86 [107—113], vv. 405—407 [368—370], ubi auream narrat aetatem, qua nullos praeter Venerem fuisse divos. Sicut Empedocles, a Parmenide ut videtur ductus, omnia a Venere conciliari dicit v. 205 [217]:

Κύπριδος ὁρμισθεῖσι τελείοις ἐν λιμένεσσιν·

v. 242 [229]:

Κύπριδος ἐν παλάμῃσιν ὅτε ξὺμ πρῶτ' ἐφύοντο,

ita Lucretius Venerem rerum canit gubernatricem (cf. v. 21) praeclaro illo et vere poetico carminis initio. cf. II, 173. 735. 845. Quae cum ita sint, Veneris venerationem multo verisimilius mihi videtur sumpsisse Lucretium ab Empedocle quam ab Euripide, quem Reisacker [1]) vult auctorem esse, quemque Lucretium imitatum esse comparatis perpaucis iisque universis notionibus mihi non persuasum esse confiteor. Ennius vero, quem item comparat Reisacker [2]), plane aliam nec nisi poeticam canit Venerem. Empedocles *Ἀφροδίτην* suam qualem animo comprehendi voluerit, cetera docent quae ei imposuit nomina, quorum non solum *Κύπρις* aliquoties reperitur, verum etiam *γηθοσύνη*, i. e. amicitia, quam aliis locis

1) pag. 40. 41.
2) pag. 42.

dicit φιλίαν et ἁρμονίαν vv. 122 [157], 137 [59], Veneris quia imperium universi significat harmoniam. Haec vero rerum concordia, qua omnia quae sunt continentur, illam efficit concordiam, quam pendere necesse est a seminum et vacui conditione. Copiosius hanc rem illustrat Emped. vv. 189 — 194 [329 — 334], quocum ut recte vidit Karsten[1]), ita consentit Plato in Philebo pag. 31, D ut dubium non sit, quin Empedoclea afferat, quibus bene comparat Reisacker[2]) II, 963 — 968 Lucreti, cui nec ipsam harmoniam alienam esse versus, ut supra dixi, docent III, 100. 118, maxime vero IV, 1240 ubi Veneri tribuit harmoniam. Rerum concordiae quomodo obstet odium et discordia, Empedoclea docent ea verba, quae a Pythagoreis videtur sumpsisse vv. 79. 80 [106. 107]:

Νεῖκος τ' οὐλόμενον δίχα τῶν, ἀτάλαντον ἁπάντῃ,
καὶ Φιλότης μετὰ τοῖσιν ἴση μῆκός τε πλάτος τε.

Quod tamen seminum discidium non minus quam concilium necesse est, quo motus fiant itaque rebus huc illuc coniunctis res in eam quam vitam dicunt prodeant conditionem. Hi tamen rerum coetus non in casu fortunaeque temeritate siti sunt, sed eum sequuntur ordinem, ut difficiliora a levioribus discedant seminibus, Emped. v. 143 [171]:

χωρὶς πᾶν τὸ βαρὺ χωρίς τε τὸ κοῦφον.

Eidem debetur concordiae sive harmoniae, quum similia similibus affinitate iungantur. Emped. v. 95 [123]:

γίγνεται ἄλλοθεν ἄλλα διηνεκές, αἰὲν ὁμοῖα.

Lucr. V, 443 — 448:

1) pag. 461.
2) pag. 51.

„diffugere inde loci partes coepere, paresque
cum paribus iungi res et discludere mundum
membraque dividere et magnas disponere partes,
hoc est, a terris altum secernere caelum,
et sorsum mare uti secreto umore pateret,
seorsus item puri secretique aetheris ignes.“

Aristot. de gen. et corr. II, 6 pag. 333 A, 35. *ἀλλὰ μὴν οὐδ' αὔξησις ἂν εἴη κατ' Ἐμπεδοκλέα, ἀλλ' ἢ κατὰ πρόσθεσιν·* vv. 197. 198 [270. 271]:

πυρὶ δ' αὐξάνεται πῦρ,
αὔξει δὲ χθὼν μὲν σφέτερον δέμας, αἰθέρα δ' αἰθήρ.

quod vertit Lucr. II, 1114. 1115:

„umor ad umorem, terreno corpore terra
crescit, et ignem ignes procudunt aëraque aër.“

et II, 999—1001:

„cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terras, et quod missumst ex aetheris oris,
id rursum caeli rellatum templa receptant.“

Huc etiam referri debet pythagorica illa Empedoclis sententia, Aristot. Metaph. II, 4 pag. 1000 B, 5: *ἡ δὲ γνῶσις τοῦ ὁμοίου τῷ ὁμοίῳ*: vv. 333. 334 [321. 322]:

γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ
αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον.

Quae hic de elementis dicuntur, eadem et ad singulas res pertinent, quarum coniunctio a caulis illis et foraminibus non minus pendet quam a seminum affinitate. Quare si foramina seminibus minora sint sive semina caulis maiora, nulla potest fieri coïtio. De Empedocle cf. Platonis Menonem pag. 76, c: *καὶ τῶν ἀπορροῶν τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι.* Aristot. Eth. Nicom. I, 8 pag. 324 B,

32. οἱ μὲν οὖν, ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς, μίγνυσθαί φασιν ὅσων οἱ πόροι σύμμετροι πρὸς ἀλλήλους εἰσίν. Eodem hanc rem Empedocles atque Lucretius illustrant exemplo de oleo aqua et vino, Emped. vv. 284. 285 [272. 273]:

οἴνῳ ὕδωρ μᾶλλον μὲν ἐνάρθμιον, αὐτὰρ ἐλαίῳ
οὐκ ἐθέλει.

Lucr. VI, 1070. 1071:

„vitigeni latices aqüai fontibus audent
misceri, cum pix nequeat gravis et leve olivom."

quae simili usus exemplo explicare conatus est Lucr. II, 391—394:

„et quamvis subito per colum vina videmus
perfluere: at contra tardum cunctatur olivom,
aut quia, nimirum, maioribus est elementis
aut magis hamatis inter se perque plicatis."

Eadem affinitatis lege magnetis lapidis vim attrahendi exposuit Empedocles, cuius testes sunt Alex. Aphrod.[1]) quaest. nat. II, 23 et Phil. ad Aristot. de gen. et anima fol. 59. Pluribus narrat Lucr. VI, 996—1039. Singulis in rebus eadem valet atque in seminibus lex, cum paribus pares coniungi. Emped. 282. 283 [268. 269]:

ὣς γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ'ἐπὶ πικρὸν ὄρουσεν,
ὀξὺ δ'ἐπ' ὀξὺ ἔβη, δαλερὸν δαλερῷ δ' ἐπόχευεν.

Iam vero ad elementa, quae quomodo nata sibi finxerit Empedocles ex contemplatione concordiae et discordiae facile intelligitur, pauca quaedam erunt addenda, priusquam brevem coelestium contemplationem adgrediar. Rerum summa eo sustinetur, quod elementorum certa-

1) cf. Zeller I, pag. 515.

men aequum fere ideoque aeternum sit. Emped. vv. 87. 88 [114. 115]:

ταῦτα γὰρ ἶσά τε πάντα καὶ ἥλικα γένναν ἔασι,
τιμῆς δ' ἄλλης ἄλλο μέδει, παρὰ δ' ἦθος ἑκάστῳ.

Lucr. V, 392—395:

„tantum spirantes aequo certamine bellum
magnis inter se de rebus cernere certant,
cum semel interea fuerit superantior ignis
et semel, ut fama est, umor regnarit in arvis" [1]).

Levissimus omnium aether omnia circumfundit, motu praeditus sempiterno, Emped. v. 133 [185]:

Τιτὰν ἠδ' αἰθὴρ σφίγγων περὶ κύκλον ἅπαντα.

Lucr. V, 467—470:

„sic igitur tum se levis ac diffusilis aether
corpore concreto circumdatus undique flexit
et late diffusus in omnis undique partis
omnia sic avido complexu cetera saepsit."

V, 500. 501:

„et liquidissimus aether
atque levissimus aërias super influit auras."

Ex aethere cum igni coniuncto coelum prodit, quod Plutarchus Empedoclem ita narrantem affert, plac. ph. II, 11: *Ἐμπεδοκλῆς στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανόν ἐξ ἀέρος συμπαγέντος ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς, τὸ πυρῶδες καὶ τὸ ἀερῶδες ἐν ἑκατέρῳ τῶν ἡμισφαιρίων περιέχοντα,* Diog. La. VIII 77 pag. 222, A, 29: *αὐτὸν δὲ τὸν οὐρανὸν κρυσταλλοειδῆ*, quibus apte Reisacker [2]) Lu-

---

1) De ordine, quo singula quaeque gignuntur elementa, discrepat a Lucretio Empedocles, quae narrat Reisacker pag. 57 sq.

2) pag. 57.

creti comparat V, 489—491. Empedoclem secutus coelum dicit „moenia mundi“ I, 73. 1094. II, 1045. III, 16. V, 119. 371. 454. 1211. VI, 123 et „templa coeli lucida“ I, 1014. II, 1039 cf. II, 1001. V, 491. VI, 286. 644. 1225.

Aether tamen sive coelum

„quo volvenda micant aeterni sidera mundi.“ (V, 516)

non uno eodemque universitatis loco, sed perpetuo agitur motu, qua conversione secum fert ignem coelestem et sidera. Quare coelum circumscribit Empedocles apud Stob. Ecl. phys. I, 26: *ἀνταύγειαν συμπεριελκυμένην τῇ κινήσει τοῦ πυρίνου.* Sic de aethere Lucr. V, 505:

„Ipse suos ignis certo fert impete labens.“

attamen, quo est animo dubio, paullo post addit V, 517. 518:

„est etiam quoque uti possit caelum omne manere
in statione, tamen cum lucida signa ferantur.“

Non proprio lumine splendet sol sed alieno, quod aetheri subduxit, quare dicitur „aetherius sol“ a Lucretio V, 281. i. e. *πυρὸς ἄθροισμα μέγα,* Diog. La. VIII, 77 pag. 222 A, 27, quod declarat Plut. apud Euseb. praep. evang. I, 8, 10: *ὁ δὲ ἥλιος τὴν φύσιν οὐκ ἔστι πῦρ ἀλλὰ τοῦ πυρὸς ἀντανάκλασις* et v. 151 [188]:

ἀνταυγεῖ πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις.

Ita Lucr. V, 595—599:

„nam licet hinc mundi patefactum totius unum
largifluum fontem scatere atque erumpere lumen,
ex omni mundo quia sic elementa vaporis
undique conveniunt et sic coniectus eorum
confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.“

Solis defectum eodem canunt modo Emped. vv. 157 — 159 [194—196]:

ἐπεσκίασεν δέ οἱ αὐγὰς
ἱσταμένη καθύπερθεν, ἐπεσκνίφωσε δὲ γαίης,
τόσσον ὅσον τ' εὖρος γλαυκώπιδος ἔπλετο μήνης.

Lucr. V, 751—753:

„nam cur luna queat terram secludere solis
lumine et a terris altum caput obstruere ei,
obiciens caecum radiis ardentibus orbem" [1]).

Terram uterque stare iudicat in medio mundi locatam; sic enim Aristotelis et Platonis verba recte mihi intelligere videtur Apelt [2]). Sunt vero haec de Coelo II, 13 pag. 295 A, 16: οἱ δ' ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς, τὴν τοῦ οὐρανοῦ φορὰν κύκλῳ περιθέουσαν καὶ θᾶττον φερομένην τὴν τῆς γῆς φορὰν κωλύειν. Phaedon pag. 99, B: διὸ δὴ καὶ ὁ μέν τις δίνην περιτιθεὶς τῇ γῇ ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ μένειν δὴ ποιεῖ τὴν γῆν. Haec est Lucreti sententia V, 534—539:

„Terraque ut in media mundi regione quiescat,
evanescere paulatim et decrescere pondus
convenit, atque aliam naturam supter habere,
ex ineunte aevo coniunctam atque uniter aptam
partibus aëriis mundi, quibus insita vivit.
propterea non est oneri neque deprimit auras."

Utrique nota est deinde terrae axis in orbem inclinatio. Emped. apud Plut. pl. ph. II, 8 [3]) caussam dicit esse aëris impetum a sole ad septentriones, quum contra Lucretius rationem patere neget V, 612—615:

1) De sole alia affert Reisacker, pag. 48. 49, ubi etiam de luna et stellis comparat, quae sufficere videntur.

2) pag. 119. 120, quae non refellit Zeller I pag. 533.

3) cf. Karsten, pag. 425.

„Nec ratio solis simplex reclusa patescit,
quo pacto aestivis e partibus aegocerotis
brumalis adeat flexus atque inde revertens
cancri se ut vertat metas ad solstitialis."

Ex hemisphaeriorum ratione quadripartitas temporum commutationes deducunt[1]). Plut. pl. ph. III, 8: *Ἐμπεδοκλῆς χειμῶνα μὲν γίνεσθαι τοῦ ἀέρος ἐπικρατοῦντος τῇ πυκνώσει καὶ εἰς τὸ ἀνωτέρω βιαζομένου· θερείαν δὲ τοῦ πυρός, ὅταν εἰς τὸ κατωτέρω βιάζηται.* Lucr. VI, 360. 361:

„frigore enim desunt ignes, ventique calore
deficiunt neque sunt tam denso corpore nubes"

369—373:

„tempus id est vernum, quo res pugnare necessest
dissimilis inter sese turbareque mixtas:
et calor extremus primo cum frigore mixtus
volvitur, autumni quod fertur nomine tempus,
hic quoque confligunt hiemes aestatibus acres."

Similem in modum mutuas diei noctisque longitudines ad hemisphaeriorum referunt inaequalitatem. Plut. ap. Euseb. praep. I, 8 p.: *εἶναι δὲ κύκλῳ περὶ τὴν γῆν φερόμενα δύο ἡμισφαίρια, τὸ μὲν καθόλου πυρός, τὸ δὲ μικτὸν ἐξ ἀέρος καὶ ὀλίγου πυρός, ὅπερ οἴεται τὴν νύκτα εἶναι.* cf. Emped. v. 160 [197]:

νύκτα δὲ γαῖα τίθησιν ὑφισταμένη φαέεσσιν.

Lucr. V, 678—684:

. . „Crescere itemque dies licet et tabescere noctes,
et minui luces, cum sumant augmina noctes,
aut quia sol idem sub terras atque superne

1) cf. Karsten, pag. 423.

Imparibus currens amfractibus aetheris oras
partit et in partis non aequas dividit orbem,
et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
eius in adversa tanto plus parte relatus."

Aquam eodem imbris vocant vocabulo. Emped. *ὄμβρος* dicit pro *ὕδωρ* (quo utitur vv. 78. [105], 211 [151], 333 [321]), his fere locis vv. 100 [128], 204 [216], 215 [209], de quibus Simpl. phys. f. 34 a: *πλείονα δὲ ἄλλα εἰπὼν ἐπάγει ἑκάστου τῶν εἰρημένων τὸν χαρακτῆρα, τὸ μὲν πῦρ ἥλιον καλῶν, τὸν δὲ ἀέρα αὐγὴν καὶ οὐρανόν, τὸ δὲ ὕδωρ ὄμβρον καὶ θάλασσαν.* Id imitatus est Lucr. I, 286. 715. 785. II, 388. V, 795. VI, 149. 1175 eumque nisi fallor Horatius, quia hoc enunciatum proprie non est poeticum sed physicum inde sumptum, quod aërem concrescere putarent in imbrem, i. e. aquae elementum, quare quod cadere in terram. Hanc Empedoclis sententiam apud Philop. Phys. [1]) c. 2 profitetur Lucr. VI, 509 —512:

„confertae nubes imbris demittere certant
dupliciter: nam vis venti contrudit, et ipsa
copia nimborum turba maiore coacta
urget, de supero premit, ac facit effluere imbris;"

vituperat Aristot. de Coelo III, 7 pag. 305 B, 7: *ἀνάγκη δὲ τοῦτο λέγειν τοῖς φάσκουσιν ἐκκρίνεσθαι τὸ ὕδωρ ἐκ τοῦ ἀέρος ἐνυπάρχον· ὅταν γὰρ ὕδωρ ἐξ ἀέρος γένηται, βαρύτερόν ἐστιν. ἔτι δὲ τῶν μεμιγμένων σωμάτων οὐκ*

---

1) cf. Karsten, pag. 404. 436.

ἀνάγκη χωρισθὲν θάτερον ἀεὶ πλείω τόπον ἐπέχειν· ὅταν δ' ἐξ ὕδατος ἀὴρ γένηται, πλείω καταλαμβάνει τόπον.

Iisdem ut videtur confirmant argumentis, quae de thermis narrant. Procl. in Tim. III, pag. 141: καὶ γὰρ ὑπὸ γῆς ῥύακές εἰσι, ὥς καὶ φησί που Ἐμπεδοκλῆς v. 162 [207]:

πολλὰ δ' ἔνερθ' ὕδεος πυρὰ καίεται.

καὶ οὐ δεῖ θαυμάζειν, πῶς οὖν ἐν ὕδατι ὂν τὸ πῦρ οὐ σβέννυται· χωρεῖ γὰρ πάντα δι' ἀλλήλων, καὶ ἔστι τὸ ἐπικρατοῦν ἄλλο ἐν ἄλλοις cf. Aristot. Problem. ΚΔ [XXIV], 11 pag. 937 A, 11. Sen. Quaest. Nat. III, 24. Lucr. VI, 840—847. 863:

„multaque sunt ignis prope semina corpus aquai"

883—885:

„nimirum, quia sunt in aqua permulta vaporis
semina, de terraque necessest funditus ipsa
ignis corpora per totum consurgere fontem."

895. 896:

„sic igitur per eum possunt erumpere fontem
et scatere illa foras in stuppam semina.

In eadem poetica similitudine versantes aquam lacrimarum instar stillare dicunt, Empedocles, ubi imbris elementum mythice inducit v. 35 [57]:

Νῆστις θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.

Lucr. I, 348. 349:

„in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis."

Maris originem in eo ponunt, quod per solis calorem salem sudarit terra, eumque imbri immiscuerit. Emped. vv. 164 [206], 165:

ἅλς ἐπάγη ῥιπῇσιν ἐωσμένος ἠελίοιο.
γῆς ἱδρῶτα θάλασσαν.

quod temere vituperat Aristot. meteor. II, 3 pag. 357 A, 24: ὁμοίως δὲ γελοῖον καὶ εἴ τις εἰπὼν ἱδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τὴν θάλατταν οἴεταί τι σαφὲς εἰρηκέναι, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς· πρὸς ποίησιν μὲν γὰρ οὕτως εἰπὼν ἴσως εἴρηκεν ἱκανῶς (ἡ γὰρ μεταφορὰ ποιητικόν), πρὸς δὲ τὸ γνῶναι τὴν φύσιν οὐχ ἱκανῶς. cf. Euseb. praep. XV, 59, 3. Eandem imaginem peridoneam vereque poeticam adhibet Lucr. II, 465. 466:

„sudor uti maris est, minime mirabile debet
esse, quod expressus terrai corpore primum'st“ [1]).

V, 487:

„tam magis expressus salsus de corpore sudor,“

ubi addita explicatio vv. 483—491 ea est quam dixi empedocleam esse.

Fulmen exsistit ex igneis solis radiis nubibus immissis. Aristot. meteor. II, 9 pag. 369 B. 11: καίτοι τινὲς λέγουσιν ὡς ἐν τοῖς νέφεσιν ἐγγίνεται πῦρ· τοῦτο δ' Ἐμπεδοκλῆς μέν φησιν εἶναι τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων. cf. Stob. Ecl. Phys. I, 592. Lucr. VI, 204—210:

„quin etiam solis de lumine multa necesse'st
concipere, ut merito rubeant ignesque profundant.“

Nubes madentes fulmina exstinguunt, quare sibilum fudentes tonitrum gignunt, Stob. Ecl. Phys. I, 30 p. 592 [2]) Lucr. VI, 145—147:

„id quoque, ubi e nubi in nubem vis incidit ardens
fulminis, haec multo si forte umore recepit
ignem, continuo magno clamore trucidat.“

---

1) Qua similitudine veri hunc Lachmannus suppleat versum, Empedoclis docet comparatio.

2) cf. Karsten, pag. 437.

Ut denique de iis quae gignuntur e terra quae habeo addam, primum tenendum est omnia et hic originem capere elementorum sive seminum e coniunctione et disiunctione Emped. vv. 211—214 [151—153. 243]:

πῶς ὕδατος γαίης τε καὶ αἰθέρος ἠελίου τε
κιρναμένων χροιαί τ' εἴδη τε γενοίατο θνητῶν
τοῖ', ὅσα νῦν γεγάασι συναρμοσθέντ' Ἀφροδίτῃ.......
πῶς καὶ δένδρεα μακρὰ καὶ εἰνάλιοι καμασῆνες......

quae quidem omnia semina si Empedocles, animam et corpus non satis distinguens, animata esse putet, obest ei Lucretius, sensilia ex insensilibus exsistere iudicans elementis I, 1021—1023:

„nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto."

II, 865—867:

„Nunc ea quae sentire videmus cumque necesse'st
ex insensilibus tamen omnia confiteare
principiis constare."

cf. 1010—1012. Quapropter vv. II, 902 sqq. 973 sqq. mihi Empedocli dicta videntur.

Eodem ordine omnia procreata numerant, quem pulchre narrat Lucr. II, 875—878:

„vertunt se fluvii frondes et pabula laeta
in pecudes, vertunt pecudes in corpora nostra
naturam, et nostro de corpore saepe ferarum
augescunt vires et corpora pennipotentum."

Emped. 215. 216 [209. 210]:

ὡς δὲ τότε χθόνα Κύπρις, ἐπεί τ' ἐδίηνεν ἐν ὄμβρῳ,
αἰθέρ' ἐπιπνείουσα θοῷ πυρὶ δῶκε κρατῦναι.

v. 219 [245]:

οὕτω δ' ᾠοτοκεῖ μακρὰ δένδρεα πρῶτον ἐλαίας.

quare recte Steinius Karsteni versuum ordinem mutavit, vv. 219—221 [245—247], qui plantarum narrant germinationem versibus 233—235 [220—222] praeposuit, quibus piscium origo illustratur. Plantas enim iam sole omnino nondum lucente creatas dicit Emped. apud Plut. plac. phil. V, 26, 4. Lucr. V, 780:

„Principio genus herbarum viridemque nitorem
terra dedit circum collis camposque per omnis,
florida fulserunt viridanti prata colore,
arboribusque datum'st variis exinde per auras
crescendi magnum inmissis certamen habenis.“

Omnia paulatim crescunt et certo quaeque semine I, 188 sqq. 812—822. Quae primum nascuntur herbae et frutices hominum comparantur capillis, ferarum pennis setisque. Emped. apud Aristot. meteor. IV, 9 pag. 387 B, 1: *λέγω δὲ καὶ ὀστᾶ καὶ τρίχας καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον ἐν ταὐτῷ· οὐ γὰρ κεῖται ὄνομα κοινόν, ἀλλὰ κατ' ἀναλογίαν ὅμως ἐν ταὐτῷ πάντ' ἐστίν, ὥσπερ καὶ Ἐμπεδοκλῆς φησί,* vv. 236—239 [223—226]:

*ταὐτὰ τρίχες καὶ φύλλα καὶ οἰωνῶν πτερὰ πυκνὰ
καὶ φολίδες γίγνονται ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν.
αὐτὰρ ἐχίνοις
ὀξυβελεῖς χαῖται νώτοις ἐπιπεφρίκασιν.*

Lucr. V, 785—788:

„ut pluma atque pili primum saetaeque creantur
quadripedum membris et corpore pennipotentum,
sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
sustulit, inde loci mortalia saecla creavit.“

In eo tamen dissentiunt, quod Empedocles quattuor pro-

fiteatur procreandi gradus, eorumque ultimum hominem dicat, quae contra Lucr. de terra V, 819. 820:

.... „genus ipsa creavit
humanum atque animai prope certo tempore fudit."

In mundo primario sive in aurea quam dicunt aetate una Venus, de qua dictum est, imperium tenebat, Emped. vv. 405—411 [368—374] ἀλλὰ Κύπρις βασίλεια. Similiter Lucretius, qui I, 9 placantem eam fingit caelum, V, 959—962:

„et Venus in silvis iungebat corpora amantum."

Ex iis, quae de hominibus [1]) similiter censet Lucretius atque Empedocles, illa Empedoclii debere puto, quae addit de feris II, 1150—1152:

„iamque adeo fracta est aetas, effetaque tellus
vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
saecla deditque ferarum ingentia corpora partu."

cf. V, 794—797. Id eo quoque probatur, quod de prioris aetatis monstris et portentis eadem censeant. cf. Emped. vv. 244—246 [232—234], 257—261 [238—242], 265. 266 [251. 252]:

ἀνδροφυῆ βούκρανα, μεμιγμένα τῇ μὲν ἀπ' ἀνδρῶν,
τῇ δὲ γυναικοφυῆ, διεροῖς ἠσκημένα γυίοις.

Lucr. II, 700—706. V, 836:

„androgynum, interutraque nec utrum, utrimque
remotum."

Attamen seminum concordia quia est conditio vitae, nequaquam durare possunt fortuitae hae coniunctiones. Aristot. Phys. II, 8 pag. 198 B, 29: ὅπου μὲν οὖν

---

1) De sempiterno vere hominumque antiquissimorum ingenti magnitudine apte Reis. p. 60. 61. comparavit Emped. vv. 423. 424 [366. 367], Plut. plac. phil. V, 27 cum Lucr. II, 1157. 1158. V, 922—925.

ἅπαντα συνέβη ὥσπερ κἂν εἰ ἕνεκά του ἐγίνετο, ταῦτα μὲν ἐσώθη ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου συστάντα ἐπιτηδείως· ὅσα δὲ μὴ οὕτως, ἀπώλετο καὶ ἀπόλλυται, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς λέγει τὰ βουγενῆ ἀνδρόπρωρα, cf. Lucr. V, 842—845:

„cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat,
nequiquam, quoniam natura absterruit auctum,
nec potuere cupitum aetatis tangere florem
nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.“

Haec fere sunt quibus de rerum origine comparari possunt Empedocles et Lucretius. Alia quaedam de corpore animoque humano de sensibus aliis comparavit Reisacker, quibus quae possum plura addam alias.
